

## DE VICESIMA LYSIAE ORATIONE.

I. Vicesima quae inter Lysiacas est oratio etsi fortasse Lysiae non est, iniquam tamen in sortem incidit. Etenim iam antiquis temporibus ei homines docti, ex quorum libris Harpocrates hausit, argumentum eius perperam intellexerunt, si quidem *δήμου καταλύσεως ἀπολογία* eam esse censebant. Nostris uero temporibus plerique eorum, qui Lysiae operam nauarunt, eam orationem non solum ab Lysia abiudicauerunt, uerum etiam uilissimam et prorsus contemnendam esse opinati sunt. Blassium ex eorum numero excipio, qui nonnulla certe in ea bona et apta esse sensit. V. eius eloquentiam Atticam p. 506 et 507. Reliqui uero sibi persuaserunt et res multas in ea falsas esse et sententias incompositas atque confusas et uerba, quae uix liceret dicere Graeca, eaque omnia „impostorem arguere hallucinantem.“ Quid quod nuperrime extitit, qui tamquam de discipuli uel quartae uel tertiae gymnasiolorum nostrorum classis opusculo censuram seuerissimam agens non dubitaret auctorem illius orationis identidem dicere „tironem rudem scribendi et lingua impromptum.“ Qui quo iure atrocissimam istam sententiam tulerint, suo loco uidebimus, nunc hoc unum illos admonitos uelim. Lysiae orationes temporum iniuria miserrime corruptas et mutilatas esse inter omnes constat, uicesima autem praeter octauam omnium maxime deprauata uidetur esse, ac profecto in ea haud pauca reperiuntur, quae ne a tirone quidem sic ut nobis sunt tradita scribi potuerint. Porro ille, qui in huius orationis auctorem uehementissime inuectus est, partem eius alteram istis oratoris uitiis, quae in priore parte inuenisse sibi uisus est, carere ipse professus est. V. Hoffmeister in progr. Starog. a. 1872 p. 14. Ergo idem, qui in priore parte „tironem rudem et dictionis impotentem“ se exhibuit, alteram partem sine maculis composuit? Ut uerbo dicam, adhuc nec intellectum satis est, quid uellet orator illa oratione efficere, et nescio quo errore occupati ea, quae iniquo tempore tribuenda sunt, tribuerunt homines docti oratori: quo factum est, ut orationem emendare eiusque argumentum penitus indagare aut neglegerent aut peruersa ratione conarentur. Atque ut nonnulla intellectu difficilia sint, reputandum est tamen non nobis esse scriptam orationem, sed prisci temporis iudicibus, qui licet non admoniti multas res facile perspicerent, quae nisi a nobis accuratissimae subiciuntur disquisitioni, plane intellegi nunc nequeunt. Utcunque res se habet, plurima, quae ab interpretibus obscura existimantur, e tenebris in lucem me euocaturum esse spero.

Polystratus enim, quem alter ex tribus filiis defendit illa oratione, fuit Oropi inter duces eius praesidii, quod Thucydides VIII, 60 ipsorum Atheniensium proditione hieme exeunte anni 411 a. C. a Boeotis captum esse narrat. V. § 6. Reliqui duces metu poenae aufugerunt, ille uero iudicio stetit atque proditionis accusatus uidetur esse eo tempore, quo populare imperium a quadringentis illis uiris sublatum iam erat, quod factum est uere eiusdem anni ineunte. Quae etsi recte Francken in commentationibus Lysiaticis p. 146 exposuit, non recte ad eandem rem spectare censuit quae orator infra § 22 dicit *οὗτος δὲ ὑμῖν δίκην δέδωκεν οὐδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν* e. q. s. Nam ibi de altera et fortasse de tertia quoque causa, quae Polystrato subeunda erat, uerba fieri ex eis quae ante dicuntur satis apparet. V. § 19—21.

Denuo enim in ius uocatus est ille, quod inter quadringentos fuerat. Quorum in numerum suffectus est octo diebus antequam classis Atheniensium mitteretur Eretriam ad Euboeenses a defectione prohibendos. V. § 14. Tunc Atheniensium res erant perturbatissimae. Priore quidem tempore, nimirum iam inde ab initio illius paucorum dominationis, ob suspiciones mutuas atque atrocissima supplicia, quibus liberi populi amicos indicta causa illi afficiebant, terroris ac metus plena erant omnia. V. § 8 et 9, Thuc. VIII, 66. Tunc uero media, ut puto, aestate eiusdem anni perturbatio ad summum peruenerat fastigium. Jam inter ipsos principes quadringentorum, cum alteri eorum Alcibiadem Samiumque exercitum quippe liberae reipublicae defensorem in metu haberent, alteri spem suam in Lacedaemoniorum auxilio ponerent, summum discidium ortum erat. V. Thuc. VIII, 89. 90. Simul iam multi ciues maximeque milites, qui in arce Eetionea aedificanda occupati erant, contiones habebant clamabantque, ut pro quadringentis quinque milia ciuium, quibus usque ad illud temporis punctum promissa potestas data nondum erat, imperium acciperent. V. Thuc. VIII, 92. 93. His ut quietem agerent, quadringenti persuaserunt dicentes, ut Thucydidis c. 93 uerba ponam, se quinque milia illa electuros esse. Simul diem contioni in Dionysio habendae dixerunt. Is ipse dies cum uenisset, eae res acciderunt, quibus Athenienses adducti sunt, ut Eretriam subitariam expeditionem mitterent. V. Thuc. VIII, 94. 95. Ex oratoris autem uerbis discimus octo dierum interuallum inter promissum illud et hanc expeditionem interiectum fuisse. Itaque Polystratus eo ipso tempore, quo in eo erat, ut tandem quinque milia ciuium eligerentur, in societatem quadringentorum suffectus est. Condicio autem Atheniensium tunc talis erat, ut nondum quisquam quo res euasurae essent certa coniectura capere posset. Fingas tibi anxios animos omnium, qui inter se diffidebant: intelleges cur illi ciues, qui ueterem reipublicae formam expetebant, tunc nondum ausi sint iugum, quo miserandum in modum premebantur, excutere, sed in promisso illorum paucorum acquieuerint. Demum nuntius amissae Euboeae insulae, qua re nihil Atheniensibus perniciosius esse potuit, animos ita quasi relaxauit, ut tandem tyrannos expellerent. Ex quo perspicitur cur eo temporis momento, quo Polystratus in numerum quadringentorum receptus est, horum auctoritas, etsi labefactari coepta est, tamen nondum fuerit nulla. Itaque reus ille eorum minis resistere ausus non est, sed iureiurando obstrictus intrauit in quadringentorum senatum. V. § 14. Neque magis *καταλογέως* munus his diebus detrectare ei licuit. V. § 13. Coactus est igitur indicem nominum conficere eorum, qui in numerum illorum quinque milium recipiendi esse uiderentur, penes quos in posterum summa rerum futura esset. Pro quinque milibus nominum scripsit

nouem. Quod postea ab accusatoribus crimini ei datum est. Vocatus est autem in iudicium, simulatque quadringentorum dominatus abolitus est, quo referenda sunt ea uerba § 22, de quibus ante dixi, οὗτος δὲ ὑμῖν δίκην δέδωκεν... εὐθὺς μετὰ τὰ πράγματα. Accusatus est quod, cum in numero quadringentorum fuisset, ciuilem sustulisset libertatem. Fuit igitur ea causa δῆμου καταλύσεως. Quod certissime intellegimus ex uerbis, quibus a filio § 13 excusatur, his καίτοι οὐχ ὅτι ἄν πλείους πολίτας ποιῶσιν, οὔτοι καταλύουσι τὸν δῆμον, ἀλλ' οἱ ἄν ἐκ πλείονων ἐλάττους. Ceterum effecerunt accusatores, ut Polystratus ingenti pecunia multaretur. V. § 14 et 18.

Pro maxima autem rerum Atheniensium perturbatione, qua ciuitas cum omnino posteriore belli Peloponnesiaci parte tum post exactos quadringentos laborabat, mirum non est ne tuñc quidem satis habuisse Polystrati aduersarios. Quorum hominum insatiabilium mores orator ipse luculenter nobis demonstrat. V. § 7 et 17. Quamobrem illi tertiam actionem ei intenderunt, ad quam oratio uicesima proprie spectat. Quam causam Lysiae interpretes recentiores cum altera illa, de qua dixi, adeo permiscuerunt, ut difficultatibus implicarentur inextricabilibus, quas cum soluere non possent, oratori ea uitio dederunt, quae ipsorum erroribus tribuenda sunt. Atque in similem confusionem iam antiquitus ei incurrerunt, quos secutus Harpocratio in uoce Πολύστρατος haec scripsit ἕτερος δ' ἄν εἴη Πολύστρατος ὑπὲρ οὗ λόγος ἐστὶ Λυσία ἐπιγραφόμενος ὑπὲρ Πυλυστράτου δῆμου καταλύσεως ἀπολογία. Propter quae uerba censeo in libris manu scriptis orationem hanc uulgo hunc titulum habere: δῆμου καταλύσεως ἀπολογία, qui tamen in libro Palatino recte omissus est. Nam in altera causa, quam subiit Polystratus, non in tertia agitur de perduellione. Etenim aduersarii, qui Polystiatum prorsus pessumdare uellent, nouam accusandi occasionem ex eo quaesierunt, quod ille extremo quadringentorum tempore particeps expeditionis Eretriam factae fuisset et munus praefecti nauium, id est ἄρχοντος, male gessisset. Ad id munus suscipiendum ex trita consuetudine creatus est a tribulibus. V. Schoemann Griech. Altert. ed. II p. 435 et sqq. Nam illo ipso tempore turbulentissimo populum Atheniensium partem pristinae auctoritatis recipere iam coepisse ex eis, quae supra Thucydide duce disputauī, manifestum est. Atque de expeditione illa prope exornata apud Thucydidem VIII, 95 diserte haec habemus Ἀθηναῖοι — non quadringenti — κατὰ τάχος... πέμπούσι ναῦς ἐς Ἐρέτριαν. Haec si recte exposui, iam non erit dubium, quo spectent illa, quae orator haud procul ab initio dicit, οὗτος, id est Polystratus, γὰρ ἠρέδη μὲν ὑπὸ τῶν φυλετῶν ὡς χρηστὸς ἂν ἀνὴρ κ. τ. λ. Nimirum ab tribulibus dux factus est. Deinde haec quoque speratam lucem accipient § 10: καὶ οἱ μὲν τὸν βίον ἅπαντα πονηροὶ ὄντες χρηστοὶ ἐν τῷ λογιστηρίῳ γεγέννηται πείσαντες τοὺς κατηγοροὺς, οἱ δ' αἰεὶ ὑμῖν χρηστοὶ ἦσαν, οὔτοι πονηροί; Cur enim filius, qui patrem defendere uellet, questus esset quod alii mali homines ἐν τῷ λογιστηρίῳ probi euassissent, nisi metuisset ne pater, qui nihil unquam mali admisisset, in eodem logisterio, ut hoc utar, improbus esse iudicaretur? Decernendum igitur fuit iudicibus illis de magistratu quodam aut male aut bene administrato. Quod non abhorret ab ea, quam aliunde nouimus, Atheniensium consuetudine. V. Schoem. l. d. p. 422 et sq. Atque nunc uidemus, quo consilio filius § 14 patrem Eretriam profectum in pugnis naualibus haud malam operam praestitisse et saucium Athenas redisse accurate narret. Plurimum autem ad meam sententiam confirmandam haec uerba § 17 faciunt: ἀλλ'

εἶποι ἂν τις ὅτι κερδαίνειν ἐπιθυμῶν ἐξέπλευσεν, ὥσπερ ἔνιοι ἤρπαζον καὶ ἔφερον. οὐδεὶς τοίνυν ἂν εἶποι ὅ τι πῶς τῶν ὑμετέρων ἔχει, ἀλλὰ πάντα μᾶλλον κατηγοροῦσιν ἢ εἰς τὴν ἀρχὴν. Haec prorsus sententia cassa sunt, nisi uerba quae sunt εἰς τὴν ἀρχὴν ad illud, quod dixi, munus rettuleris. Ac sane accusatores merito cauillatur orator, quoniam isti, qui propter munus illud male gestum patrem in ius uocauerant, in orationibus suis ne uerbum quidem ea de re fecerunt, sed rursus uetera illa de quadringentis crimina protraxerunt, quibus iam in altera accusatione usi illi erant. Qua eadem ratione nunc facile omnes intellegent, cur de quadringentis plurima oratori dicenda fuerint. Nam ibi uersabatur cardo criminum in patrem coniectorum, neque accusatores illam ἀρχὴν ulla alia de causa Polystrato exprobrauerant, nisi ut nouam ac speciosam eius de eadem re accusandi ansam haberent, quod bis eandem litem intendere non licuit. Specie igitur propter male administratum munus illud, re autem uera eum persecuti sunt, quod inter quadringentos fuisset. Ideo nunc desinat dubitare Francken l. d. p. 148, cui minime apparere uisum est, quomodo tertium hoc iudicium fuisset a superiore diuersum.

II. Ergo res, quas in oratione inuenimus, non mouent suspicionem, atque longum est refellere ea, quibus, ut alios taceam, Francken p. 146—149 et Hoffmeister maxime p. 3 et 4 oratorem historiae fidem laesisse opinantur. „At, inquires illis auctoribus — V. Francken p. 148 —, haec a te nunc cum puluisculo eruta sunt: in oratione ipsa omnia susque deque permixta et turbata sunt.“ Hoc uere dictum esse fortasse concederem, si scripsisset auctor omnia eo ordine, quo tradita nobis sunt. Atqui cur uehementissime dubitandum id sit, non una causa est. A § 13 enim filius postquam narrauit patrem suum illa, de quibus supra dixi, ciuium nomina in indicem rettulisse, exponit qui factum sit, ut et illud facere et omnino in societatem quadringentorum uenire cogetur. Octo dies eum intrasse in curiam, tum profectum esse Eretriam fortiterque ibi pugnauisse. Rerum statu iam mutato grandi pecunia multatum esse, quamquam toto tempore illo ad dicendam sententiam ne os quidem aperuisset. Sed quae ex hac narratione colligi possunt ad defendendum reum, ea partim enumerantur iam antea § 7—10, ubi multis uerbis explicatur, quam graue iniustumque id sit, si pater, qui nihil in curia dixerit, eadem poena afficiatur atque illi, qui quadringentorum tempore mala in populum consilia suppeditauerint. V. § 7 καὶ ὁμοίως τὰς κατηγορίας ποιοῦνται τῶν τε εἰπόντων γνώμην τινὰ ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μὴ. § 10 δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι, εἰ τοῖς εἰπούσι περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον μὴ τὰ ἄριστα ὁ μηδὲν εἰπὼν ταῦτὰ πείσεται. Atque etiam magis mirandum est, quod ibi § 10 hoc breuissimum enthymema habemus καὶ ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν οὐδὲν ἐξήμαρτεν εἰς ὑμᾶς, ἐν δ'ὄκτω ἡμέραις; quasi uero de octo diebus illis narrata iam sint, quae narrantur demum postea § 14. Nam iudices, etsi fortasse inter res gestas et iudicium non longum temporis spatium interiectum fuit, tamen tam accurate rem uix potuerunt tenere. Quo accedit quod multi iudicum ne fuerant quidem Athenis, sed in Hellesponto eo tempore, quo gesta illa sunt. V. § 29. Semel igitur admonitus is, qui illa attente legerit, non dubitabit, quin uerba, quae habemus a § 7—10, ab oratore dicta sint post illa, quae scripta uidemus a § 13—14 vel 15. At forsitan aliquis uel nunc peruersam illam sententiarum seriem tribuerit auctoris imperitiae. Sed is aliud sibi persuadedit, si haec quoque perpenderit. Argumentis nonnullis orator docet § 11 et 12 inter Polystratum et

Phrynichum illum quadringentorum principem nullam intercessisse necessitudinem. Quam argumentationem ita concludit, ut dicat non debere illi nocere quod municipalis Phrynichi fuerit: aut iudices quoque in noxa fore, quod ciuis eorum Phrynichus sit: *εἰ δ' ἦν δημότης, οὐ δίκαιος διὰ τοῦτο βλάπτεσθαι ἐστὶν ὁ πατήρ, εἰ καὶ μὴ ὑμεῖς ἀδικεῖτε, ὅτι ὑμῶν ἐστὶ πολίτης*. Iam in libris excipiuntur haec eis uerbis, quae initium illius, quam supra paucis delineauimus, narrationis faciunt: *πῶς δ' ἂν γένοιτο δημοτικώτερος, ἢ ὅστις ὑμῶν ψηφισαμένων πεντακισχίλιος παραδοῦναι τὰ πράγματα καταλογεὺς ὧν ἑννακισχίλιους κατέλεξεν*; Haec interrogatio et ille de Phrynicho locus quomodo coniungi possint, frustra quaeras. Sed forma orationis *πῶς δ' ἂν γένοιτο δημοτικώτερος* talis est, ut uideantur iam antea de populari homine uerba facta esse. Si quid uideo, latet hic ordinis uerborum sine culpa oratoris perturbati uestigium. Simile aliquid accidit in fine illius narrationis § 15, ubi orator conqueritur sortem patris, qui grauiter multatus sit. Contra absolutos esse alios multos poena dignissimos. Sequuntur haec: *καὶ οὐ φρονῶν τοῦτοις λέγω, ἀλλ' ἡμᾶς ἐλεῶν· οἱ μὲν γὰρ δοκοῦντες ἀδικεῖν ἐξητημένοι εἰσὶν ὑπὸ τῶν ὑμῖν προδύμων ἐν τοῖς πράγμασι γενομένων, οἱ δ' ἠδίκηκότες ἐμπριάμενοι τοὺς κατηγοροὺς οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν*. Postquam igitur dixit „non inuidens illis hoc dico, sed nos miserans“, partitione facta duo genera eorum describit, qui quamquam sotes fuerint tamen certis quibusdam artibus poenam uitauerint (*οἱ μὲν ... οἱ δὲ ...*). Nonne uoluit orator tum incohatam orationis formam absoluere ita ut dicere pergeret: *ἡμεῖς δὲ uel οὗτος δὲ?* Et aliquid hic desiderari Reiskius egregie sensit: nam post illa „ut nil quicquam peccasse uideantur — *οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν* —“ in translationem Latinam de suo interposuit haec: „nos uero plectimur insontes.“ Talia uel similia certe expectamus. Habemus autem id quod requiritur, si totam illam cum clausula narrationem a § 13—15 *πῶς δ' ἂν ... ἔδοξαν ἀδικεῖν*, quam ante § 7—10 dici debuisset supra aliis causis demonstraui, inter § 2 et § 3 interponimus. Dicit ibi defensor Polystratum a tribulibus delectum esse, qui de illius erga populum beneuolentia optime dignoscere potuissent. Post haec oratio continuatur aptissime hunc in modum: qua autem alia ratione beneuolentiam erga populum luculentius praestare potuit quisquam, quam is qui pro quinque milibus ciuium nouem in catalogum rettulit, ne quis de populo irasci sibi posset? Quo uerborum ordine restituto simul lucratur narrationem, huic loco maxime conuenientem. Itidem ubi uerborum, quae interponenda esse censeo, finis est, oratio concinne, ut supra promisi, procedit. Nam interpositione facta habemus haec: *.. ἡμᾶς ἐλεῶν· οἱ μὲν γὰρ .. οἱ δ' ... οὗτος δὲ τίνος ἂν ἕνεκα ὀλιγαρχίας ἐπεθύμησε;*

Una uero difficultas debet expediri. Etenim uerba § 15 haec *πῶς ἂν οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν*, si ea quae antecedunt, alibi scripta fuerunt, et ipsa necesse est loco, quem nunc tenent, cedere. Fortasse olim scripta fuere post § 4: *ὥστε μηδὲ τοῦτων ἕνεκα ἐτέρας πολιτείας ἐπιθυμῆσαι (διὰ τὰ πρόσθεν ἀμαρτήματα)*. *πῶς ἂν κ. τ. λ.* Tum, ut proponam breuem conspectum, sententiae hunc in modum inter se cohaerent: Huic grandis multa irrogata est: eorum autem qui contra uos dixerunt semperque quadringentorum consiliis interfuerunt, multi absoluti sunt. Quod non inuidens his dico, sed nos — patrem et filios — miserans. Nam ceteri, qui sotes erant, auxilio inuento liberati sunt (§ 14 et 15). Hic uero — Polystratus — nullam omnino causam habuit cur peccaret (§ 3 et 4). Cui

igitur miserabilis sors nostra non uidebitur? — Alii fortasse meliorem uerborum ordinem inuenient, sed id nihil ad me. Ego satis habeo quod illa, quae habemus a § 13—15, ab oratore ipso superiore aliquo in loco posita fuisse certissime demonstraui. Ordo autem partium totius orationis talis a me commendatus est: 1. 2. 13—15 (*ἀδικεῖν*) 3. 4. *πῶς ἂν . . . πάσχοιμεν*. 5—12. 16—36. Quae pristina series qua ratione librariorum errore in peius mutari potuerit, nonnulla docent indicia. Illa exclamatio *πῶς ἂν . . . πάσχοιμεν*, a pristino loco suo fortasse remota est propterea quod uerba, quae olim sequebantur et ea, quae nunc in libris sequuntur, legentium oculis aequale praebant initium § 5 *καὶ κατηγοροῦσι μὲν αὐτοῦ ὡς πολλὰς ἀρχὰς ἤρξεν* et § 16 *καὶ κατηγοροῦσι μὲν τῶν τετρακοσίων*. Longior autem illa pars, quam transposui, miro errore falsum locum uidetur occupasse post § 12. *Δημότης* uocabulum, quod est in postrema § 12 parte — *εἰ δ' ἦν δημότης* — induxit scribam aliquem ut adiungeret ea, in quibus sententiae incuriosus deinceps similes uoces *δημοτικώτερος* et *δημοτῶν* detegeret. V. § 13. Quamquam illud superius *δημότης* est municipalis uel proprie ex eodem pago oriundus, posterius omnino ciuis, *δημοτικός* autem populi amicus.

III. Sed et ad comprobandum illum quem proposui uel similem partium ordinem, et quo persuadeatur eis, qui huius orationis auctorem plane despiciunt, reliquum uidetur esse, ut oratorem non omni dispositionis et compositionis arte destitutum fuisse probem. Nam quae Hoffmeister nuper scripsit p. 5 „in tota oratione omnino nullus ordo, nulla certa dispositio inueniri potest, ne insit illa, quae in iudicialibus orationibus fere usitata atque solemnitas est, qua exhiberi solent *πρόλογος, διήγησις, ἐπίλογος*“, haec uelim neminem fallant. Est ordo, est certa dispositio in hac oratione, neque tam generalibus argumentis auctor eius accusari debebat, si quidem ne Lysiae quidem in iudicialibus orationibus optimis idem partium ordo semper placuit, cuius rei infra afferam testimonia. Sed cum de eo, quem sequi fere uoluerit, ordine, non prius iudicari possit, quam statum orationis detexerimus, primum de hac re uideamus. Ac primam quidem faciem si intuearis, possis iudicare statum, qui in ea est, esse definitiuum, qui dicitur. Polystratus enim reus in numero quadringentorum fuerat. Hoc negare non potuit, potuit uero fortasse demonstrare id non esse crimen. Quo spectare alicui uideantur haec uerba § 13: *καίτοι οὐχ ὃ ἂν πλείους πολίτας ποιῶσιν, οὗτοι καταλύουσι τὸν δῆμον, ἀλλ' ὃ ἂν ἐκ πλειόνων ἐλάττους*. Ubi putare possimus agi de definitione criminis laesae ciuitatis. At ex hoc uno uestigio certi quicquam colligere non licet. Nam si de controuersia nominis ageretur, plura ea de re haud dubie dicta essent dicique debuerunt. Deinde fuit cum opinarer posse cogitari de constitutione iudiciali absoluta, quam Graeci uocant *ἀντίληψιν*, quae pertinet ad statum qualitatis. Qua de re uid. Volkmann, *Die Rhetorik der Griechen und Römer*, p. 47 et 48. Nam defensor confitetur Polystratum inter quadringentos fuisse sed eam ob causam nondum esse in culpa habendum. At honestum id esse aut iustum, qua in re *ἀντίληψις* posita est, non potest demonstrare: hoc unum exponit ni maiore adductum illum esse, ut in quadringentorum senatum intraret. V. §§ 8. 9. 14. Ergo ne is quidem status orationis est. Restat ut de statu coniecturali, quem Graeci dicunt *στοχασμόν*, uideamus. V. Volkman. p. 33 et sqq. Atque sane agitur de controuersia facti. Ad quam ducimur uel primis orationis uerbis *Οὐ μοι δοκεῖ χρῆναι ὀργιζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνίω*. Factum esse

## VII

a Polystrato orator docet nihil, quod iram iudicum excitare deberet dignumue esset poena. Neque enim in constitutione reperienda quaerendum est, qua accusationis forma utantur aduersarii, sed quae res praecipue commouerint eos ad intendendam actionem. Sic Polystratus quamquam proprie, ut supra demonstrauius, in ius uocatus est de male gesto magistratu, tamen ipsa rerum condicione maxime de rebus, quas quadringenti gesserant, sese defendere coactus est. Quo factum est ut defensor saepe rediret ad eandem sententiam diceretque a patre nihil contra rempublicam commissum esse, sed semper eum fuisse in ciues beneuolum. V. §§ 2. 5. 6. 7 et sqq. 13. 14. 16. 17.

Coniecturalis autem constitutionis rationem si sequimur, tractatio. ex praeceptis rhetorum Romanorum, quae nominibus, non re a Graecis differunt, sex habet plerumque partes, quae sunt probabile, collatio, signum, argumentum, consecutio, approbatio. V. Volkm. p. 316—319. Has autem partes paucis atque eis exiguis rebus mutatis in hac oratione euidentissime reperimus: quam quaestionem si singillatim persecutus ero, in posterum iam non fore, qui ordinem eius prorsus improbent, spero. Sed initium, ut par est, sumamus ab exordio.

**Exordium.** § 1. Hoffmeister uituperandi studio abreptus p. 5 haec scripsit: „oratio ipso initio statim in medias res, ut aiunt, inducit sine ullo primordio“. At ne si quidem primordium omnino abesset, ideo uituperandus orator esset, dummodo esset causa, cur illud omitteret. Veluti Isaeum constat plerumque exordia propria aut prorsus omisisse aut angustissimis terminis ex re ipsa petitis inclusisse. Verum habemus exordium, quod quamuis exigua arte compositum sit, aptum tamen est. Si causa, inquit Quintilianus III, 1, 23, conciliandi nobis iudicis materiam dabit, ex hac potissimum aliqua in usum principii, quae maxime fauorabilia uidebuntur, decerpi oportebit. Id fecit noster orator, cum admoneret iudices, ne eis quadringentorum irascerentur, qui mali nihil fecissent, sed erga populum beneuolentiam contulissent. Plura dicere uix licuit in tam intricata re, praesertim cum animi tunc temporis maxime perciti essent, iudicesque probe scirent non multo ante in simili re ingenti pecunia reum esse multatum, atque cauendum esset ne illos efficeret impatientes. Ac si primum oratoris officium est, ut iudices beneuolos reddat, facere id studuit.

**Propositio** § 2. **Narratio** § 13 et 14, cum egressione § 14 extr. et 15. Polystratus, inquit defensor, etsi a tribulibus ut uir popularis electus est, ut inter duces classis Eretriam mittendae esset, tamen insimulatus est, quod — eo munere male gesto — maleuolum populo eum se praebuisse dicerent. Quae propositio ab exordio ad narrationem transitum parat, quam tritam Lysiae quoque consuetudinem fuisse Dionysius de Lys. iud. testatur. V. Volkm. p. 127.

Sequitur narratio, qua cum accusatores, ut rei naturae consentaneum erat, intra fines propositae rei se non continuissent, orator ea quoque exposuit, quae Polystratus fecerat antea eo tempore, quo quadringentis accedere et catalogum illum scribere coactus est. Extrema narrationis uerba sunt .. *καὶ τετραμένος δεῦρ' ἦλθε, καὶ ἤδη μετεπεπτώκει τὰ πράγματα*. Perducitur igitur expositio rhetorum praeceptis conuenienter eo, unde quaestio oritur. V. Volkm. p. 124. Ceterum ne mireris, quod in narratione argumentum illud .. *ἵνα μηδεὶς αὐτῶν διάφορος εἶη* e. q. s. positum est, uide Volkm. p. 121, qui eiusdem rei ex aliis oratoribus haud pauca exempla in medium profert.

Concluditur ante confirmationem expositio *παρεμβάσει*, quam Graeci dicunt, id est egressione, quae optime et legitime quasi suum locum ibi tenet. V. Volkm. p. 124 et sqq. Cum enim priore iudicio patri quamuis insonti grauem multam impositam esse narrauisset, orator erumpente indignatione, ut Quintilianeis utar, narrationem prosequitur. Patrem enim, qui ne sententiam quidem dixisset in curia quadringentorum, damnatum esse queritur, illos uero, qui perpetuo Atheniensium populo infesti fuissent, malis artibus esse liberatos. Qui excursus aptissimus est, praesertim cum Polystrato semel iam propter similem causam damnato iudices a principio minus fauisse consentaneum sit, atque egregie in eum cadunt quae Quintilianus III, 3, 9 de eo dicit: „est hic locus uelut sequentis exordii ad conciliandum probationibus nostris iudicem, mitigandum, concitandum.“

**Tractatio.** §§ 3—12. 16—19.

I. **Probabile ex causa.** § 3 et 4. „Reus quadringentorum studiis non fauebat. Nam cum esset senex septuagenarius, nec aetate erat ea, quae eum rerum nouarum cupidum faceret, ut commoda inde sibi pararet, nec damna ei illata erant, quae mutato rerum statu resarcire uellet, nec propter filios ad illud studium est adductus.“ Huic parti potuit subiungi probabile ex uita, sed id a Graecis oratoribus plerumque non ponitur nisi in fine argumentationis, quod, ut exemplum proferam, Lysias in ea oratione, quae est *περὶ τοῦ δημῶ*, fecit. V. Volkm. p. 323 et sq. Idem factum est in hac oratione.

II. **Signa et argumenta.** §§ 5—12. 16—18.

1. „Non recte accusatores dixerunt Polystratum iam semel, cum dux esset militum Oropi, ciuitatem prodidisse — paulo ante quadringentorum tempus —: nam quoniam rediit in urbem, nullius facinoris se conscium sibi fuisse declarauit.“ § 5 et 6.

2. „Sub quadringentis omnes ciues adeo consternati erant, ut tyrannis istis obloqui nemo auderet. Polystratus autem cum eorum senatui interesse coactus esset, sententiam non dixit.“ § 7—10 med.

3. „Cum uero in eorum concilio non esset nisi octo dies, ne uerisimile est quidem, quoniam per septuaginta annos nihil mali perpetravit, eum tam exiguo temporis spatio quidquam contra Atheniensium populum facere in animum induxisse.“ V. § 10 extr.

4. „Cum Phrynicho principe quadringentorum consuetudinem habuisse falso insimulatur.“ § 11 et 12.

5. „Non omnes, qui quadringentos secuti sunt, mali fuerunt: nam uobis quoque, Athenienses, persuasum ab eis est, ut quinque milia ciuium eligeretis.“ § 16.

6. „Reipublicae si nocere uoluisset reus, non post octo dies in bellum nauale profectus esset.“ § 16 extr.

7. „Nemo probare poterit eum, cum inter duces illius belli esset, lucrum facere uoluisse.“

8. „Quod iam semel ingenti pecunia multatus est, neminem debet offendere. Nam illo tempore — paulo post eiectos quadringentos — ob metum accusatorum nemo pro eo testimonium interponere ausus est.“ § 18.

Haec omnia usitatae oratorum rationi maxime conueniunt. Nam exponit defensor reum facinoris patranda non quaesiuisse occasionem — uid. num. 6 —, docet nos de uniuerso rerum statu, qui sub quadringentis fuerit — uid. num. 2 —, agit de breuissimo temporis



spatio, quo maleficium ab reo admissum esse credibile non sit — uid. num. 3 —: quae signa sunt maxime solita. V. Volkm. p. 319 et 174. Reliqua quae enumeravi — numeris 1, 4, 5, 7, 8 — contra grauiora argumenta dicta sunt, quibus aduersarii Polystratum et ante facinus — uid. num. 1 et 4 — et ipso eius tempore — n. 5 — et post illud — n. 7 et 8 — suspectum se reddidisse demonstrare uoluerunt. Et accuratius rem ponderanti obscurum non erit signa et argumenta ideo promiscue proposita esse, quod orator, quantum id fieri posset, ordinem temporum sequi uellet. Qua ratione simul effecit, ut grauissima res extremum acciperet locum. Nempe grauissimum haud dubie fuit, quod Polystratus iam semel post exactos quadringentos damnatus fuerat. Sperare enim accusatores facile potuerunt fore, ut ob illam causam iudices eo minus dubitarent, quin reus etiam in nouissimo, quod susceperat, munere administrando culpa liber non esset. Atque impulsus studio illud crimen diluendi defensor § 18 non solum conqueritur de temporum iniquitate, quae patrem testibus orbauerit, sed latius euagatur parte orationis proxima, approbatione.

III. **Approbatio.** § 18 extr. et 19. „Eidem accusatores, qui patrem nostrum insontem et nos eius filios optime de republica meritos plane pessumdare uolunt, alios quadringentorum, qui pecunias publicas a se raptas esse negare non possunt, ita defenderunt, ut liberarentur.“ Qua parte, sicut debuit, orator et iudices misericordes et accusatores suspectos reddidit. V. Volkm. p. 319.

IV. **Consecutio.** § 20—22. „Polystratus cum improbis quadringentorum consiliis non interfuisset, tanta innocentiae fiducia fuit, ut statim post populare imperium redintegratum in urbem rediret et Atheniensibus copiam sui faceret. Ei uero, qui culpam contraxerant, partim aufugerunt, partim certe, ne accusarentur, militiae causa domo profecti sunt.“

V. **Probabile ex uita.** § 23—29. „Reus nulli umquam in rempublicam officio defuit et tres filios quoque ita instituit, ut stipendia pro patria egregie facerent et qualibet occasione oblata eximiam ei impenderent operam.“ Quam partem tractationis orator copiose et ita, ut testimonia proferret, illustrauit, quippe quae maximam ad defensionem uim haberet. Etenim quamquam proprie causa spectabat ad munus illud, quo Polystratus male functus esse iusimulabatur, summa tamen accusationis eo redibat, ut propter partes, quas egisset sub quadringentis, reprehenderetur et uexaretur. Tam generali autem accusationi quae melius potuerunt opponi quam rei et filiorum eius in rem publicam merita! Ex quo simul uidemus, cur haec de uita et moribus expositio ad extremam tractationem relegata sit, contra atque in ceteris causis, ueluti in septima Lysiae oratione, fieri solet, in quibus extremus locus attribuitur approbationi. V. Volkm. p. 323 et sq.

**Epilogus.** § 30—36. In epilogo quoque eos locos explicatos reperimus, qui huius partis maxime proprii sunt. Plerique rhetores eam partem constare uoluerunt ex enumeratione, amplificatione, commiseratione. V. Volkm. p. 214. In hac autem oratione enumeratio rectissime ommissa est. Nam quid fuisset ineptius quam apud iudices, quorum animos conclusione conciliari oportebat, memoriam Polystrati in numerum quadringentorum recepti denuo reuocare, id quod in rerum repetitione uitari non potuit. Accedit quod causa, quae ante exposita erat, breuis et simplex est, quamobrem enumeratio omnino non erat necessaria. V. Quintil. VI, 1, 8. Habemus igitur amplificationem, coniunctam illam cum commiseratione. Cuius partes, quae uersantur in iudicibus conciliandis et ad misericordiam concitandis, hae fere sunt:

1. „Si in eo est, ut propter iniustas criminationes in patrem nostrum coniectas nos una intereamus, nostris in rem publicam meritis et nos et patrem seruari oportet.“ § 30.

2. „Nam ad bene de uobis, iudices, promerendum non lucri cupiditate adducti sumus, sed quia sperabamus uos, si quando periculis forensibus expositi essemus, gratiam nobis iustam esse relatueros.“ § 31 init.

3. „Si nobis ob beneficia apud uos collocata gratos praebueritis animos, alios quoque incitabitis, ut uobis bene faciant. Si uero beneficiorum acceptorum immemores eritis, nemo in posterum ad bene de uobis merendum paratus erit.“ § 31 et 32. Quae sententia in epilogis frequentissima est. V. Volkm. p. 227 et sq. Est enim illa, quam Cicero uocat, consequentium frequentatio.

4. Sequitur locus, per quem quibus in bonis fuerint reus et filii eius et nunc quibus in malis sint ostenditur. § 33. Qui locus est ἐκ τῶν συμβεβηκότων. V. Volkm. p. 230. Cic. de inuent. I, 55, 107.

5. „Alii per liberos utrimque astare iussos uos exorant, nos per patrem senem oculis uestris oblatum nos et illum deprecamur.“ § 34 et 35 init. Respondet igitur haec pars ei loco, qui uocatur παραγωγή uel παράκλησις. V. Volkm. p. 232.

6. Sexto loco § 35 exponitur, quibus in malis pater et filii futuri sint, si iudices eos non absoluant. Est locus ἐκ τῶν συμβησομένων. V. Volkm. l. d.

7. Septimo loco § 36, qui per obsecrationem sumitur, orantur illi qui audiunt supplicii oratione, ut misereantur, si qui filios habeant, per filios, si qui patri aut filiis aequales sint, horum causa. Haec respondent eis, quae Cicero, ubi enumerat conquestionis locos, de inuent. I, 55, 107 his uerbis expressit: „ad ipsos qui audiunt similem causam conuertimus et petimus, ut de suis liberis aut parentibus aut aliquo, qui illis carus debeat esse, nos cum uideant, recordentur.“

8. Denique comparatione facta cum hostibus, qui ipsis pepercerint, cum indignatione conqueritur defensor, quod patre non absoluto futurum sit, ut ab eis, a quibus minime conueniat, male tractentur. V. Cic. l. d. c. 55 extr.

Plane aptis igitur et usitatis locis orator usus est in componendo hoc epilogo, atque continetur is, id quod maxime conuenit, praecipue comparatione et contrariis. Neque eius perorationis ratio ab Lysiae ingenio aliena est, quod qui, ut exemplum ponam, orationem XVIII cum hac comparauerit, facile perspiciet. Nam ibi in prorsus diuersa re plurimae epilogi partes a § 20—27 his simillimae sunt, earumque, ut ita dicam, progressus paene idem est. Compares maxime 18, 20—24 cum 20, 30—35 init.

III. Qui igitur scripsit hanc orationem, quisquis is fuit, minime artis rhetoricae ignarus existimandus est, neque Scheibe, Francken, Hoffmeister, alii in mendis, quae haud pauca insunt, acquiescere debebant, quod ea esse imputanda putarent auctori, non librariis. Quid quod ea, quae rectissime sese habent, illi iniustissimum in modum reprehenderunt ac ne Graeca quidem esse contenderunt. Quod ut perspicuum sit omnibus, nunc plurima, quae illis scrupulos iniecerunt, accuratius persequemur.

§ 1. Οὐ μοι δοκεῖ χρῆναι ὀργιζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνίων. Franckeno p. 144 et Hoffmeistero p. 5 et 6 claudicare in his oppositio, huic insuper uerba male esse collocata uidentur. At tota orationis argu-

mentatio in eo uersatur, ut quadringentos non per se in odio habendos, sed nonnullorum maleficia, quae puniantur, digna esse audientibus persuadeatur. Atque inepta sunt, quae Francken pro eis requirit, ... *ἀλλὰ μᾶλλον τοῖς ἔργοις* uel *τετρακοσίων ἀπάντων*. Nam alterum efficeret, ut iudices putarent omnino quadringentorum facta iram mouere debere, quod orator postea multis uerbis refellit: alterum inest in uerbis, quae tradita nobis sunt, quoniam *οἱ τετρακόσιοι* non sunt nisi omnes quadringenti. Languida autem, si comparantur cum ipsius oratoris uerbis, sunt, quae Hoffmeister censet scribenda fuisse, *οὗ μοι δοκεῖ χρήναι ὀργίζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις. Ἄλλ' οὐδὲ πάντων, ἀλλ' ἐνίων αὐτῶν*. — Denique Hoffmeister uituperat oratorem, quod non ea, quibus primaria enuntiati uis continetur, sed quae leuioris momenti sunt, in initio sint posita. Nempe hunc praeferendum fuisse ordinem *οὐ τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρ. μοι δοκεῖ χρήναι ὑμᾶς ὀργίζεσθαι, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις*. An ipse Lysias male haec posuit I, 2 *καὶ ταῦτα οὐκ ἂν εἴη μόνον παρ' ὑμῖν οὕτως ἐγνωσμένα, ἀλλ' ἐν ἀπάσῃ τῇ Ἑλλάδι* pro *καὶ οὐ μόνον παρ' ὑμῖν* e. q. s. et haec III, 17 *πολύ γὰρ περὶ πλείονος τοῦτον ἢ ἐμὲ φαίνεται ποιησαμένη* pro *τοῦτον γὰρ πολύ περὶ πλείονος ἢ ἐμὲ φ. π. ...?* Plura eiusdem farinae facile reperias, nisi res taedium moueat. Nimirum grauiora etiam extremum locum in enuntiationis saepe accipiunt.

*Οἱ μὲν γὰρ ἐπιβουλεύσαντες ἦσαν αὐτῶν, οἱ δ' ἵνα μήτε τὴν πόλιν μηδὲν κακὸν ἐργάζαιτο μηδ' ὑμῶν μηδένα, ἀλλ' εὖνοι ὄντες εἰσῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον*. In his duumuiris illis *ἦσαν* uocabulo uidetur contentus membrorum turbari. Non perspexerunt uarietatis causa oratorem primum dicere *ἦσαν αὐτῶν* „erant in eorum numero“, deinde *εἰσῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον*. Utrumque ad eandem sententiam redit, sed ad augendum uerborum concentum duo uerba posita sunt. Neque uideo, cur „enuntiatum ualde contortum“ iudicandum sit.

Praeterea Hoffmeisterum offendunt uerba *οἱ δ' ἵνα μήτε ... μηδένα*, quae Graece dicta esse negat ideoque pro his expectat *οἱ δ' οὐχ ἴα ἢ τὴν πόλιν κακὸν τι ἐργάζαιτο ἢ ὑμῶν τινα*. Illis enim, quae in oratione habemus, effici opinatur „si non intrassent in curiam, rei publicae uel ciuitati male et iniuste fecissent.“ Quod si uere esset disputatum, Lysias ipse XII, 72 hanc absurdam sententiam expressisset: „si contionem non conuocassent, ciues ea, quae urbi utilia erant, decreuissent.“ Verba enim ibi haec sunt: *παρόντων Δυσάνδρον καὶ Φιλοχάρους καὶ Μιλτιάδου περὶ τῆς πολιτείας τὴν ἐκκλησίαν ἐποιοῦν, ἵνα μήτε ῥήτωρ αὐτοῖς μηδεὶς ἐναντιοῖτο μηδὲ διαπειλοῖτο, ὑμεῖς τε μὴ τὰ τῇ πόλει συμφέροντα ἔλοισθε, ἀλλὰ τάκεινοισ δοκοῦντα ψηφίσαισθε*. Sed ut haec, ita illa in hac oratione bene se habent. Ex contrariis enim, quae sequuntur, *ἀλλ' εὖνοι ὄντες ...* cuius Graeci sermonis existimatori sententia aperta est haec: „intrauerunt in curiam, ut nec urbem laederent nec uestrum quemquam, sed bonam uoluntatem suam exhiberent.“

§ 2. *Οὔτος γὰρ ἠρέδη μὲν ὑπὸ τῶν φυλετῶν ὡς χρηστὸς ὢν ἀνὴρ καὶ περὶ τοὺς δημότας καὶ περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον κατηγοροῦσι δὲ αὐτοῦ ὡς οὐκ εὖνους ἦν τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ ...* Multus est Hoffmeister p. 7 et 8, ut doceat oratorem contra historiae fidem dicere, siue loquatur de Polystrato in quadringentorum collegium a tribulibus relato, siue illa spectent ad munus *καταλογέως*. Neutrum uere poni supra

exposui. Hoc Hoffmeisteri causa moneo: inter haec *ὦν*, id est *τῶν τετρακοσίων*, *εἰς ὧν οὗτος τυγχάνει Πολύστρατος* et haec *οὗτος γὰρ ἠρέσθη* ... non causalis ratio intercedit, sed explicationis, ut *γὰρ* nostrum sit nämlich. Itaque uerborum conexu non adducimur in falsum istud commentum, quo Polystratus in quadringentorum collegium a tribulibus suffectus esse dicitur.

Neque minus longis ambagibus Hoffmeister propter *μέν* et *δέ* particulas perperam, ut putat, positas in uerbis his *ἠρέσθη μὲν ... κατηγοροῦσι δὲ* . oratorem tironis instar „contortum et difficilem sententiarum nexum“ fecisse accusat. Sententiam — nam longum est istas ambages singillatim recensere — facile apparet hanc esse: „Hic enim quamquam electus est a tribulibus ut uir popularis, accusatur nihilominus maleuolentiae in populum.“ Nam *μέν* et *δέ* particulis interdum sententias grauiter inter se oppositas coniungi notum est, quamquam id dubitat Hoffmeister, atque eiusmodi multa facile reperias exempla. Unum ex Lysia I, 49 profero: *ὑπὸ τῶν νόμων ... οἱ κελεύουσι μὲν, εἰάν τις μοιχὸν λάβῃ ὃ τι ἂν οὖν βοήληται χρῆσθαι, οἱ δ' ἀγῶνες δεινότεροι τοῖς ἀδικουμένοις καθεστήμασιν ἢ τοῖς παρὰ τοὺς νόμους τὰς ἀλλοτρίας καταισχύνουσι γυναικίας.*

Sequuntur haec: *κατηγοροῦσι δὲ αὐτοῦ ὡς οὐκ εὖνους ἦν τῷ πλήθει τῶ ὑμετέρῳ, αἰρεθεῖς ὑπὸ τῶν φυλετῶν, οἱ ἄριστα διαγονοῖεν ἂν περὶ σφῶν αὐτῶν ὁποῖοί τινές εἰσιν*, in quibus adeo „anacoluthon leuitatis et neglegentiae aut tironis indicium“ detexisse ille sibi uisus est, quoniam *αἰρεθεῖς* participium non posset coniungi cum *εὖνους ἦν*, quippe cum haec uerba ex accusantium, illa ex oratoris mente dicta essent. Sed grammatica ratio perspicua est: ex cuius mente dicta illa essent, uel uoce oratoris significari facile potuit. Ceterum simile quid Franckenum uidetur adduxisse, ut illa uerba eis, quae „insulse et inepte“ in hac oratione dicta essent, adiceret. Censet is *αἰρεθεῖς* male dictum esse pro *ἠρέσθη μέντοι*. Vide Lysiae uerba haec XII, 58: *σφόδρα χρῆ ὀργίζεσθαι, ὅτι Φειδῶν αἰρεθεῖς ὑμᾶς διαλλάξαι καὶ καταγαγεῖν, τῶν αὐτῶν ἔργων Ἐρατοσθένει μετεῖχε.*

Deinde Hoffmeister p. 10 praue dicta ab oratore putat esse *οἱ ἄριστα διαγονοῖεν ἂν περὶ σφῶν αὐτῶν*, quasi uero tribules de semet ipsis iudicantes non ei sint, qui de quouis homine ex suorum numero iudicent. Nam *σφῶν αὐτῶν* idem est atque *ἀλλήλων*. V. Kühner gramm. Gr. mai. ed. II. part. I. p. 459, part. II. p. 499.

Denique taedium eius mouetur, quod orator eadem uerba et locutiones sine uarietate non longo interuallo interiecto deinceps posuerit: § 1 *εὖνοι ὄντες* et § 2 *εὖνους ἦν*, § 2 *ἠρέσθη ὑπὸ τῶν φυλετῶν* et *αἰρεθεῖς ὑπὸ τ. φ.*, *τὸ πλήθος τὸ ὑμέτερον* et paulo post *τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ*. Sed de re eadem eisdem uocabulis uti saepe oratoribus placuit. Atque Lysiam, ad cuius exemplum prouocare maxime debeo, constat, ubi is qui orationem habiturus esset, simplex erat homo, et in uerbis et in argumentis simplicitatem affectasse. V. Francken p. 37. Saepe adeo ineptum erit, ubi eadem uel similis res denotanda est, alias uoces anxie circumspectare. Sed ne opus quidem est hac excusatione. Nam uereor ne Hoffmeister ipsius quoque Lysiae egregias orationes summo cum taedio lecturus sit, si attenderit haec modo exempla. In Lysiae ea oratione, quam ipse habuit, XII, 42 et 43 bis deinceps inuenimus *τῷ ὑμετέρῳ πλήθει τὰ ἐναντία ἔπραξε* et *ἐναντία τῷ ὑμετέρῳ πλήθει πράττοντες*, atque similiter XII, 66 et 67 duobus uersibus fere interpositis τὸ

ὑμέτερον πλῆθος. In oratione, quae est contra Agoratum, eadem illa uocabula saepissime habes. Vide XIII, 1 (bis) 2. 9 10. 11. 16. 17. In una paragrapho XIII, 51, quae octo fere uersus continet, habes τῷ δήμῳ τῷ ὑμετέρῳ, τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, ὁ δῆμος, ὑπὲρ τοῦ δήμου.

§ 3. Οὗτος δὲ τίνος ἂν ἔνενα ὀλιγαρχίας ἐπεθύμησε; πότερον ὡς ἡλικίαν εἶχε λέγων τι διαπράττεσθαι παρ' ὑμῖν ἢ τῷ σώματι πιστεύων, ἵνα ὑβρίζοι εἰς τῶν ὑμετέρων τινά; ἀλλ' ὁρᾶτε αὐτοῦ τὴν ἡλικίαν, ἢ καὶ τοὺς ἄλλους ἵκανός ἐστιν ἀποτρέπειν τούτων. Haec quoque et propter uerba et propter sententiam languida, praua, confusa, tirone digna esse Hoffmeister malo iudicio contra oratorem occupatus logicis argutiis duabus quadratae formae paginis efficere studuit. Paulo modestiore iudicio Francken corrupta ea esse censet. Ac primum quidem ille offensus est δὲ coniunctione, quod haberet uim aduersandi. Sed ea de re dicere superuacaneum est, praesertim cum uerisimile sit ante illa uerba ponendas esse paragraphos 12—15 (ἀδιαιεῖν). Qua de re supra satis. Habent illa uerba facilem et planum intellectum. Apparet enim ad utrumque membrum mente addendum esse ὀλιγαρχίας ἂν ἐπεθύμησε. Atque aptissime inter se respondent alterum interrogationis membrum „utrum paucorum imperio studuisset, quod eam aetatem haberet, ut dicendo apud uos aliquid impetraret“ et alterum „an paucorum imperio studuisset corporis uiribus fretus eo consilio, ut uestrorum alicui uim inferret.“ Videlicet utrumque impeditum est eo, quod reus septuagenarius fuit. Vide § 10. Quo effectum est, ut et tardo esset ingenio et corpore inualidus, idque proximis indicatur uerbis ἀλλ' ὁρᾶτε αὐτοῦ τὴν ἡλικίαν, ἢ καὶ τοὺς ἄλλους ἱ. ἐ. ἀ. τ. Sane ei, qui rimatur difficultates, omnia difficilia uidentur esse, cuius generis sunt illa, quae Hoffmeister ait p. 11: „Finali infinitiuo — qui ne est quidem finalis — non similis infinitiuus in altero interrogationis membro respondet, sed integrum enuntiatum finale, pendens ex particula ἵνα. Talis sententiarum confusio et dicendi inconstantia nulli accidere posse mihi quidem uidetur nisi tironi.“ Ergo hic sermonis uarietas confusio et inconstantia est, antea constantia in eisdem uocabulis, quae posita sunt, ubi necessaria erant, fuit inopia et egestas! De sententia igitur non est dubitandum. Constructio quoque uerborum recto pede incedit. Ὡς in uerbis ὡς ἡλικίαν εἶχε positum est de causa, quae dicitur subiectiua, cuius generis exempla et Lysiaca et alia collegit Frohberger XXX, 27. Cum uerbis, quae sunt ἡλικίαν εἶχε λέγων τι διαπράττεσθαι, compares haec Lysiaca VII, 29 οὐδ' ἡλικίαν ἔχων εἰδέναι περὶ τῶν τοιούτων. Ac quod Francken ait εἰς τῶν ὑμετέρων τινά inepte dicta esse pro εἰς τῶν παίδων τῶν ὑμετέρων τινά, id neminem decipiat. Οἱ ὑμέτεροι sunt ciues, qui liberae ciuitatis formae adhaerent: nam si quis quadringentorum imperium constituere in animum induxerat, eum in populares ciues grassari consentaneum erat. Quid denique dicamus de illis, quibus Hoffmeister ad oratorem prorsus damnandum utitur, commentis „An qui fretus est corporis uiribus, non aequae in democratia atque in oligarchia ea committere potest?“ Nonne iuueniles animi in turbulentis reipublicae temporibus ad facinora perpetranda induci potuerunt, de quibus ante nequaquam cogitauerunt? Atque Polystratus si adulescens tunc temporis fuisset, multo magis haud dubie iudicibus particeps rerum, quas quadringenti moliti sunt, fuisse uisus esset. Ut omnino „νέοι in suspicionem facile uenerunt, si quidem Aristoteles dixit Rhet. II, 2 οἱ νέοι ὑβρίζονται ἢ περιέχειν γὰρ οἴονται ὑβρίζοντες, atque Lysias XXIV, 16 ὑβρίζειν εἰκὸς τοὺς ἔτι νέους

καὶ νέαις ταῖς διανοαῖς χρωμένους. Vide Frohb. Lys. X, 29. Ceterum memores oportet nos esse ab illis uerbis incipere probabile illud ex causa, de quo supra iam satis expositum est: qui locus in orationibus iudicialibus legitimus est. Et his quidem uerbis πρόσωπον, quod Graeci dicunt, exprimitur, ex quo personam rei per se accusationi aptam non esse discimus. Vide Volkm. p. 328.

§ 4. Ὅστις μὲν οὖν ἄτιμος ὢν, κακόν τι ἐργασάμενος ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ, ἐτέρας πολιτείας ἐπεθύμησε, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα αὐτοῦ ἕνεκα ἂν ἔπραττε τούτῳ δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἡμάρτηται, ὥστε ἢ αὐτοῦ ἕνεκα μισεῖν τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, ἢ τῶν παιδῶν. ὁ μὲν γὰρ ἐν Σικελίᾳ ἦν, οἱ δ' ἐν Βοιωτοῖς ὥστε μηδὲ τούτων ἕνεκα ἐτέρας πολιτείας ἐπιθυμήσαι διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα. Haec uerba rursus ut inepta et futilia irriserunt Francken et Hoffmeister. At nisi huic oratori omnia iniungenda esse censuissent, antiquiorum criticorum secuti essent uestigia, ueluti Taylori, Marklandi, Reiskii, qui ea emendare conati certe sunt. Interpretationes alienas explicandi causa additas in eis inesse facile concesseris. Atque equidem statuo delenda esse ea, quae distinctius imprimenda curauī, κακόν τι ἐργασάμενος ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ et, quae altero loco posita sunt, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα. Deinde Hoffmeisterum male non debebant habere ἢ τῶν παιδῶν uocabula, quoniam conclusio non recte pertineret ad filios, de quibus argumenta nondum essent allata. Sane conclusio etiam ad filios recte potest pertinere. Nam grauissima ἀτιμίας poena ea erat, ut non solum ipsi malefici, uerum etiam liberi eorum omnia ciuitatis iura cum bonis amitterent. Vide Weber ad Demosth. Aristocr. 62. Quid igitur, si Polystratus, quod dignum esset capitis deminutione, nihil fecit, mirum est, si ab eo nullum eiusmodi peccatum, ut populi statum aut sua aut filiorum causa odisset, commissum esse docemur? Atque rectissime, quoniam de patre iam dictum est, subsequuntur ea, quae de filiorum condicione certiores nos faciunt, ὁ μὲν γὰρ ἐν Σικελίᾳ ἦν e. q. s.

§ 5. Nouum argumentum a καὶ coniunctione initium sumit. Eiusdem καὶ in principio sententiarum positi Hoffm. p. 13 et sq. enumerauit fere uiginti exempla: § 7 duo, 10 duo, 12 duo, 14, 15 quattuor, 16 duo, 17, 18, 19, 21, 23, 24, 25. Quod dicendi genus adeo exacerbauit eum, ut scriberet „est sane hoc satis manifestum indicium a nullo alio scriptam esse hanc orationem nisi a tirone quodam“. Rectissime, si Lysias est tiro, qui in prima oratione non multo longiore, quam huius rei causa perlustrauī, καὶ ab initio sententiarum persaepe sic scripsit, § 2, 10 ter, 12, 13 bis, 19 bis, 20, 22, 23, 24, 25, 31, 41. Similiter in eadem oratione ἐπειδὴ coniunctionem saepe repetitam uidemus, § 6 bis, 7, 9, 12, 14, 19 bis, 21, 23. Similia id genus quaerere nolo, quamquam dubium non est, quin facile reperiantur. Scilicet homines simplices Lysias, sicut huius orationis auctor, simplicia uerba facit loquentes.

Sed propter sententiam quoque Hoffm. uehementer in oratorem hunc inuehitur, quem dicit halucinari, non argumentari. Neque enim indicari Polystratum sub quadringentorum dominatu magistratus administrasse, quod solum accusari potuisset, neque refutationem criminacionis iustam in his uerbis esse ἀποδείξει δὲ οὐδεὶς οἶός τε ἐστίν ὡς οὐ καλῶς ἤρξεν. Simplicem refutationem futuram fuisse hanc „ἀλλ' οὗτος εὐθύνας ὑμῖν δέδωκεν.“ quo refutationis genere in simili re usum esse Lysiam XXV, 30. Verum illas criminationes ad

quadringentorum tempora turbulentissima spectare, ne si illa quidem, quam commendavi supra, partium transpositio fieret, liquidum esset, quoniam iam ab initio orationis orator illis de temporibus loquitur. Ac reliqua, quae ad oratorem uituperandum prolata sunt, inania sunt, quia hic generatim illae criminationes carpuntur: quae autem singillatim de istis muneribus defendendi causa dici potuerunt, suis locis accuratius proposuit orator. De quibus rebus supra satis disputavi. — Ibidem et ab Hoffmeistero et a Franckeno reprehenduntur uerba *ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις*, cum ex superioribus, quo spectent, sciri non possit. Hic paene dum, haec scribo, indignor, quandoquidem oratori tanta ubique iniuria fit. Dixit a principio de Polystrato in numerum quadringentorum recepto, demonstrauit eum non ex animi sententia nouae reipublicae formae studuisse nec causam, cur id faceret, habuisse, recens denique earum rerum memoria in iudicibus erat; et sunt quibus illa uerba *ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις* obscura esse uideantur! Atque haec dissero nulla habita ratione illius, quam supra statui, partium interpositionis. Adeo bene fecit orator, quod non dixit *ἐπὶ τῶν τετρακοσίων* pro *ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις*: etenim distinctam illius temporis commemorationem iudicibus aliquid molestiae inferre necesse erat.

Denique in uerbis „*ἐγὼ δ' ἠγοῦμαι οὐ τούτους ἀδικεῖν ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις, ἀλλ' εἴ τις ὀλίγας ἄρξας μὴ τὰ ἄριστα ἤρξε τῇ πόλει. οὐ γὰρ οἱ καλῶς ἄρχοντες προὔδιδον τὴν πόλιν, ἀλλ' οἱ μὴ δικάως*“ ante *ὀλίγας* esse omissam *καί* particulam et *καλῶς* in *πολλάκις* fortasse mutandum esse concedo, quorum alterum Hoffmeister, alterum Dobreus inuenit. Tum spero sententiam sine offensione fore, etsi, id quod libentissimo animo profiteor, satis simplex est, ut conueniebat simplici defensori.

§ 6. *Οὗτος δὲ πρῶτον μὲν ἄρξας ἐν Ὠρωπῷ οὔτε προὔδωκε καὶ ἐτέραν πολιτείαν κατέστησε.* Haec oratorem ipsum non scripsisse apparet, itaque Francken non debebat ea uerba exemplis eorum, quae insulse et inepte dixisset huius orationis auctor, adnumerare. Aut exciderunt nonnulla uocabula aut pro *καί* in locum suum reuocandum est *οὐδ'*. *καί* fortasse ortum est ex ultima antecedentis *προὔδωκε* uocabuli syllaba male bis collocata, tum *οὐδ'* loco cedere coactum est. Sed uideant doctiores.

*οἱ δ' οὐχ ὑπέμειναν.* Franckeno, quo oratorem cauilletur, „accusatio non addito locus ambiguus“ uidetur esse. Sane Lysias XIII, 63 scripsit *οὐδὲ ὑπομείναντες τὴν κρίσιν*. Sed iam Marklandus praeter alia contulit haec uerba Andocidis de myst. haud procul ab initio *ὁπόσοι μὲν γὰρ μὴ ἠθέλησαν ὑπομείναι καταγνόντες αὐτῶν ἀδικίαν*, et paulo post *ὁπόσοι δὲ πιστεύσαντες μηδὲν ἀδικεῖν ὑπέμειναν, δίκαιοι ἐστε καὶ ὑμεῖς περὶ τούτων τοιαύτην ἔχειν τὴν γνώμην*.

*Ὁ δ' ἠγοῦμενος μηδὲν ἠδικημέναι δίκην δίδωσι.* Noli Franckeno auctore eo offendi, quod *δίκην δίδοναι* hic et § 22 non est „poenas dare“, sed „iudicio se sistere.“ Nam *δίκας δίδοναι* ideo non dixit orator, quod hac formula continetur, ut quae lites inter duos populos legationibus ultro citroque missis componi non potuerint, arbitrio liberae alicuius ciuitatis utrisque amicae permittantur. Vid. Poppo Thuc. I, 140. Sic illam formulam scriptam uidemus Thuc. I, 85. 140. 144. VII, 18 de litibus Lacedaemoniorum et Atheniensium, V, 79 de Lacedaemoniis et Argiuis, I, 28 de Coreyraeis et Corinthiis, Aesch. adu. Ctesiph. 124 de Amphissensibus et Amphictyonibus. De solo Polystrato igitur non potuit dici nisi illud, quod habemus, *δίκην δίδοναι*.

καὶ ὁμοίας τὰς κατηγορίας ποιῶνται τῶν τ' εἰπόντων γνώμην τινὰ ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μὴ. Francken non debebat audacter affirmare confusum hic esse alterum iudicium, quod pertinet ad imperium quadringentorum, cum primo de Oropi prodicione. Per καὶ coniunctionem transit orator ab illa prima accusatione ad alteram.

§ 10. Καὶ ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν οὐδὲν ἐξήμαρτεν εἰς ὑμᾶς, ἐν ὁπῶ δ' ἡμέραις; Francken haec inepta uocat immerito. Inter argumenta a personis ducta commemoratur ab rhetoribus etiam aetas, „quia aliud aliis annis magis conuenit.“ V. Quintil. V, 10, 25. Atque defensor dicere aptissime potuit non esse ueri simile eum, qui per septuaginta annos nihil peccauisset, octo diebus, quibus quadringentorum consiliis interfuit, contra rem publicam mali quicquam fecisse. Scilicet si quis de ueterum orationibus accuratam agere uolet censuram, eum rhetorum praecepta tenere oportebit. Ceterum eadem illa uerba, quae Francken tam acerbe improbauit, Blassius p. 507 simplicis ac nativae ueritatis laude ornauit. Vide igitur, quam caute hominum doctorum iudicia de auctorum dicendi cogitandique ratione prolata accipienda sint.

§ 11. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐν παιδείας φίλος ἦν αὐτῶ ὁ μὲν γάρ — Phrynichus — ἐν ἀγρῶ πένης ὧν ἐποίμαινεν, ὁ δὲ πατήρ ἐν τῷ ἄστει ἐπαιδεύετο. Francken p. 149, ubi dicere audet continere orationem hanc „quaedam quae uix Graeca dici possint,“ affert hoc quoque exemplum „ἐν παιδείας pro ἐν παιδός uel παιδῶν.“ Non uidit ille hic non agi de pueritia, sed de educatione, quod luce clarius est cum propter totam sententiam — uult enim orator demonstrare diuersa Phrynichi et Polystrati fuisse studia et mores — tum maxime propter extremum ἐπαιδεύετο uocabulum.

§ 12. ὄτ' ἐξέτινε τῷ δημοσίῳ, οὐκ εἰσήνεγκεν αὐτῷ τὸ ἀγρῦριον. Francken haec habet p. 149: „Mire ἐκτίνειν absolute ponitur; quamquam in hoc oratore fortasse ferendum.“ Rursus, ut solet, de hoc oratore inique iudicat. Qualis accusatiuus audiendus sit, ex uerbis, quae sequuntur, perspicuum est. Atque Lysias ipse militem dicentem facit haec IX, 9: ἀδίκως δὲ ζημιώσεῖς οὐτ' ὀφείλω οὐτ' ἐκτίσαι δίκαιός εἰμι.

§ 13. Ut taceam de uerbis εἰ δὲ τῷ μὴ οἷόν τ' εἶη, quae non tam difficilia sunt intellectu quam statuit Fr., grauior dubitatio est de his: ἐννακισχιλίουσ καταέλεξεν, ἵνα μηδεὶς αὐτῷ διάφορος εἶη τῶν δημοτῶν. Haec si de uno pago Polystrati intellegenda essent, peruersum haberent intellectum. Nam suo pago ut gratificaretur, non opus fuisset tanto ciuium numero, quod probe sensit Dobreus. Δημότης igitur ibi est omnino ciuis, aut scribendum erit δημοτικῶν.

§ 14. Frustra idem haeret in uerbis his οὗτος δ' οὐτ' ὁμόσοι ἤθελεν οὔτε καταλέγειν, ubi dicit p. 150 se Bakii coniecturam οὐτ' εἰσελθεῖν utraque manu amplexurum fuisse in alio scriptore. Nec illa coniectura opus est nec imprudens, qualem fuisse eum Francken censet, fuit patronus, quod narrauit uir et minis coactum fuisse Polystratum, ut catalogum conficeret eoque populo gratum faceret. Neque enim inuito animo populo gratificatus est, sed necessitate coactus munus illud sub quadringentis subire ita se gessit, ut pro rerum condicione quam posset maximam populo exhiberet beneuolentiam.

Blassius, quem dixi ceteris aequius de oratore hoc existimauisse, cum alia improbauit, quae improbanda non erant, tum hic in uerbis τὴν ψυχὴν οὐ πονηρός optimorum scriptorum dicendi consuetudinem non satis seruata esse ait p. 507. Similiter in his § 25



οἷος ἦν τὴν ψυχὴν et § 29 μηδενὸς ἦπτον' εἶναι ἀνθρώπων τὴν ψυχὴν. Quamquam ipse Lysias dixit ψυχαῖς πιστεύσαντες II, 50 et, si sequimur Emperii certissimam coniecturam, δῆλον ὅτι τοῖς μὲν σώμασι δύνανται, τὰς δὲ ψυχὰς οὐκ εὖ ἔχουσιν X, 29, ubi Frohberger Xenophonteum exemplum addidit.

§ 17. καὶ οἱ κατήγοροι τότε μὲν οὐδαμῇ εὖνοι ὄντες ἐφαίνοντο τῷ δήμῳ οὐδὲ ἐβοήθουν· νῦν δὲ ἡνῖκα αὐτὸς ἐαυτῷ εὐνούστατος ἐστὶν ὁ δῆμος, βοηθοῦσι τῷ μὲν ὀνόματι ὑμῖν, τῷ δὲ ἔργῳ σφίσιν αὐτοῖς. Haec quoque uerba Blassio eadem de causa, qua § 14, placuerunt, Francken uero rursus summa iniquitate oratorem reprehendit propter ea, quae contra accusatores proferuntur. Sed accusatores in suspicionem uocare prudentis patroni est. V. Volkm. p. 204. Neque intellexit uerba, cum diceret ea nihil ad praesentem causam pertinere. Pertinent illa ad praesentem causam, si quidem accusatores τότε, id est quadringentorum tempore, nihil pro populo fecerant, tum uero, cum Polystratus causam ageret, ut speciem popularium uirorum referrent, acerrime insectati sunt omnes, qui aliqua ex parte in societatem quadringentorum uenerant.

§ 18. τῷ μὲν γὰρ οὐδ' εἴ τις εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν διὰ τὸ δέος τῶν κατηγόρων. Haec ita ab auctore scripta non sunt, neque propter ea uerba Francken uituperare eum debuit. Mihi maxime placent quae Franzius proposuit in ed. Lys. p. 203 .. εἶχε μαρτυρίαν, ἐμαρτύρει διὰ e. q. s.

§ 19. τοὺτους μὲν ἀφείτε ἀνδρὶ ἐξαιτουμένῳ. — ἀνδρὶ frigidum esse Franckeno largior: sed id ipsum me mouet, ut primitus alia ibi scripta fuisse censeam, ueluti τῷ αἰί. Sed quaerant alii.

§ 26. Offendunt Franckenum ὄρμιον ἔχοντος καὶ ἐτοίμου ὄντος ὀρκῶν, porro συλλογὴν pro σύλλογον, denique καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν. At prima illa iam Reiskius in adn. ad haec uerba addita et in translatione Latina egregie expediuit. Συλλογὴ spectat ad militum cateruas, quae auctore Tydeo subito conglomeratae sunt. Denique illa καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν non inficeta sunt, sed ille miles Polystrati filius, qui patrem defendit, pro simplici suo ingenio, quae Catanæ gesserit, sine arte exponit. Atque idem fere est statuendum de proxima paragrapho, quam Francken uerbositate iniucundam esse autumat. Verbosa oratio conuenit dicentis moribus.

§ 28. Haec Fr. contendit obscura esse culpa auctoris. Verum quoniam oratio non multo post quadringentorum imperium sublatum habita est, nemo expectare potest, ut de rebus illo tempore gestis nobis omnia anxia cum diligentia explicentur. Sed ne est quidem in illis obscuritas. Natu minimus fratrum interfecit unum ex exulibus, qui cum Pisandro et Alexicle Deceleam aufugerant, et sicut antea in urbe (ἐνθάδε) mala multa faciebant, ita postea quoque ab castello illo profecti agros uastabant. Vide Thuc. VIII, 98 οἱ περὶ τὸν Πείσανδρον ... Δεκέλειαν.

§ 35. πεπόνθαμεν δὲ τοῦναντίον τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι τοὺς παῖδας παραστησάμενοι ἐξαιτοῦνται σφᾶς, ἡμεῖς δὲ τὸν πατέρα τουτονὶ καὶ ἡμᾶς ἐξαιτούμεθα. Haec Blassio p. 506 displicent ob peruersam oppositionem. Sed oppositio iusta est, dummodo post τὸν πατέρα ex superioribus mente repetamus παραστησάμενοι. Reliqui enim liberos producunt, ut eorum auxilio se deprecantur, filii autem illi patrem senem, qui ipse se iam defendere non posset, produxerunt, ut et illum et se deprecarentur.

## XVIII

Iam ut a longiore disputationis cursu quasi respiremus, paucissimis uidendum est, quid de hac oratione iudicandum sit. Et ea quidem, quae Hoffmeister contra oratorem scripsit, explicari omnia. Plura Francken collegit, quibus hanc orationem Lysia indignam esse demonstraret. Sed haec quoque aut uana commenta esse aut expediri facile posse docui: nonnulla, quae aliter atque nunc uidemus ab oratore scripta fuisse in propatulo est, sciens praetermisi, de quibus alii uideant. Blassius, qui caute, ut solet, iudicauit, haud pauca in ea detexit satis bona neque ab Lysiae ingenio aliena. Nonnulla uero ille quoque inuenisse sibi uisus est, quae Lysiam eius auctorem non esse efficerent. V. eius eloqu. Att. p. 506—508. Maxime eum offendit prima atque ea longissima orationis pars, in qua sententias inter se omnino non cohaerere opinatur. Quod aliter sese habere supra ostendimus. Atque hac difficultate sublata pauca, in quibus haeret, quae ex parte iam illustraui, non tam graua sunt, ut pugnent contra Lysiam, ueluti ea, quae de §§ 27, 34, 36 dicit, in quibus uel argumenta debilia uel conclusiones minus concinne procedentes reprehendit. Mihi igitur, nisi grauiora contra meam sententiam argumenta proferentur, haec oratio uidetur ab Lysia iuene admodum scripta esse, paulo postquam Athenas redierat. Rediit autem ipso fere quadringentorum tempore a. 411; potuitque res eas, quae in oratione attinguntur, probe scire. Atque illud, quod supra demonstraui, studium certas quasdam orationis partes accuratissime persequendi optime conuenit iuueni ei, qui modo Thuriis Siciliensem artem rhetoricam a Tisia magistro didicerat. Denique non nego equidem in hac oratione nondum eam egregiam dicendi artem esse, qua posterioris aetatis orationes Lysiacae admirabiles sunt: sed in iuene, qui eo tempore, quo scripta haec oratio est, fere uiginti duos annos natus fuit, mirum illud quidem non est. Quod autem Lysias XII, 3 in ea oratione, quam ipse a. 403 habuit, se neque suas unquam neque alienas causas egisse dixit, id si recte illa uerba interpretamur, nihil contra meam facit sententiam. V. Frohb. Lys. I, d. Le Beau Lys. Epitaph. p. 20.